



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibvs Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

9 Aliae quaedam quaest. de monte pietatis diluuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

non in speciali; hoc est, approbati factos conditionibus, & pactis debitis, & licitis. Respondetur, in Concilio Later. prædicto approbati Montes pietatis erectos cum tertia si præposita lege, & conditione, ut ibi habetur expresse ea conditio. Item ibi approbantur hi Montes ad tollenda dubia, quæ erant inter Doctores, circa horum Montium iustitiam; & dubium totum erat de tertia prædicta conditione: ergo illi approbatur ea conditio. Non bene igitur Caietan. & Sotus affirmant illam conditionem esse usurariam.

Deinde dices cum Soto, solum approbati onus, & pæctum, duo mutuatarij solvunt aliquid ultra sortem pro ministris Montis; id est, ut interpretatur Sotus, pro obligatione, quæ ministris Montis mutuarie tenentur indigentibus. Respondetur, falsam esse huiusmodi glossam; quia in Bulli Pontificis, & Concilio dicitur, ut mutuatarij solvant aliquid pro ministris, & expensis ipsius Montis; & pro ipsius Montis indemnitate. Si infles cum Soto, & Caietano, non omnia illius Concilij decreta esse vsu recepta. Respondetur, hoc posse locum habere in pænis, censuris, & aliis decretis iuris tantum humani ibi editis. At verò quæstio, utrum Montes isti sint liciti, an non, est quæstio fidei, & morum: ergo si Concilium definit esse licitos, nemo potest oppositum docere. Immo ibi ex communicationis lætæ sententiæ pæna imponitur contra eos, qui oppositum prædicare, siue disputare, verbo, vel facto ausi fuerint.

Quarto obicies cum Soto, huiusmodi quæstionem non pertinere ad fidem; quia Concilia, & Pontifices non possunt aliquid statueret tamquam dogma Fidei, nisi ex sacris Litteris colligendo. Respondetur, Sotum in hoc esse cautè legendum: ait enim, ad fidem pertinere, utrum usura sit licita, an non; quia ex sacris Litteris colligitur esse prohibita: sed non esse quæstionem fidei; nec posse Romanos Pontifices, aut Concilia definire in speciali, utrum hic contractus, vel ille sit usurarius; quia hæc, inquit, quæstio solum est Philosophiæ moralis. Sed certè in hoc falsus est Sotus: nam alioqui ad Ecclesiam non pertineret statuere utrum hoc, vel illud factum sit peccatum, nec ne. Item in multis materijs, Pontifices, & Concilia statuerunt hoc, vel illud esse illicitum. Item suppositis his, quæ sacra Litteræ tradiderunt de usura, per necessarium, & evidentem consequentiam potest colligi, hunc, vel illum contractum esse usurarium, & consequenter potest Ecclesia statuere esse, vel non esse usurarium contractum.

Ad argumenta ergo Caietani, & Soti, respondetur: ad primum, quod mutuatarij solvunt Monti pietatis ultra sortem, non solvunt vi mutui, sed ratione damni emergentis: nimirum pro expensis, & stipendiis ministrorum Montis. Ad secundum; si mutuator pecuniam destinet ad mutuum indigentibus, retinendo apud se dominium illius, interim dum parata est ad mutuandum, nequit aliquid exigere à mutuatariis pro conservatione illius pecuniæ; quia est pecunia ipsius mutuatoris; & ipse tamquam dominus, suis expensis debet illam conservare: nam sicut illam liberè destinavit ad mutuandum; ita etiam pro libito potest illam destinare ad alios vsus, & eam repetere quando voluerit, tamquam pecuniam suam: in hoc enim iniuriam non facit pauperibus, vel aliis indigentibus mutuo, qui nullum adhuc ius acquisierunt ad illam pecuniam.

Secus verò est de fundatore Montis pietatis: nam hic absolute donavit bona, quæ in monte constituit: nec potest ea inde detrudere, aut repetere, & mutuatarij ius acquisierunt ad bona montis: & ideo ipsi tamquam ius habentes ad montem, debent montem conservare. Ex dictis patet tertij argumenti solutio. Nam fundator Montis postquam Montem crexit, non est mutuator, nec est amplius dominus Montis: vade non tenetur eum conservare suis expensis.

* * *

Alia quedam quæstiones de Monte Pietatis diluuntur.

CAPVT IX.

PRIMO quæritur, An si quid quoto quoque anno superfluit ex lucris, quæ ultra sortem mutuatarij solvunt, possit accrescere in bonum ipsius Montis? v. g. si unus singulos mutuatarios ultra sortem, solvere ad rationem trii pro centum; & quia in expensis, & stipendiis ministrorum Montis, solum sufficiunt duo; factum est, ut in fine anni ex tribus, quæ solvunt mutuatarij singulis, superfluit unum. Quæritur modò, an illud unum accrescat Monti? Ratio dubitandi est, quia si accrescat Monti, cedit totum hoc in bonum ipsorum pauperum. Respondetur, non posse accrescere Monti: tunc enim potest Mons locupletari, vel maior fieri ex lucris, quæ exigit ultra sortem à mutuatariis: nam, ut capite præced. diximus, huiusmodi lucrum solum solvi debet pro expensis, & stipendiis necessariis ipsius Montis. Vnde Mons ex huiusmodi lucris potest se indemnem servare: non tamè se locupletare, siue augere.

Si roges, cui igitur restituendum est illud unum, quod superfluit? Respondetur, singulis mutuatariis, à quibus est acceptum, quia solverunt ultra id, quod tenebantur solvere. Obstat: certò sciri non potest quinam sint mutuatarij, quoniam sunt multi, & aliqui mortui, alij verò abentes, alij ignoti. Respondetur, tunc restitutionem esse faciendam iuxta regulas communes. Nam quando creditor est ignotus, vel incertus, restituo fieri debet pauperibus, siue in pios vsus: & ita si mutuatarij sint ignoti, vel incerti, tunc illud, quod superfluit in monte, cui restitui deberet pauperibus, vel in pios vsus conferri: consequenter potest applicari eidem Monti, quia ipse Mons est Mons Pietatis, unde pauperes, & regentes adiuvantur.

Notandum est, quodcumque experientia eorum fuerit, ex tribus, quæ mutuatarij solvere coguntur, unum superfluit: quia duo tantum sufficiunt pro expensis, & stipendiis Montis, tunc in posterum nequeunt exigi à mutuatariis tria ultra sortem; quia pro expensis non sunt necessaria tria, sed duo tantum: & rursus, quando notum fuerit, non sufficere duo: tunc possunt exigi tria; & denique tot, quot fuerint necessaria pro expensis ministrorum Monti necessarii.

Secundo quæritur, An possit civitas compellere ciues, ut contribuant ad montem, & deinde fieret, ut mutuatarij solvant lucrum civibus contribuentibus ad rationem quinque pro centum, ita ut mutuatarij solvere cogantur septem pro centum; nimirum quinque civibus contribuentibus, & duo ministris Montis pro stipendio ipsorum? Lupus Gemianus tract. de usura. commen. 3. §. 3. num. 84. respondet esse hoc licitum, & citat pro hac sententia Laurentium de Rodolphis in c. Consultus de usuris, n. 4. & Lap. alleg. 137. num. 1. Alex. in litem, quin. §. i. m. 2. ff. de Pactis. Abb. in c. In civitate, de usura. in fine.

Sed notandum est, in huiusmodi dubio multa contineri, de quibus est sigillatim dicendum. Primum quærit potest, An civitas, in bonum indigentium mutuo, possit Montem erigere, ita ut faciat ciues contribuere mutuando? Item, An possit montem erigere, ita ut faciat ciues Monti ipsi contribuere, emendo censum super ipsius civitatis, & montis bonis? Circa primum horum modum, in mutuando, praxis est ista, ut ciues contribuendo mutuent, ita ut ex contributione fiat magnus quidam numerus pecuniarum, ex quo singulis indigentibus detur mutuo certa summa pecuniæ: & mutuatarij teneantur ultra sortem, non solum solvere duo, vel tria pro expensis ministrorum Montis; sed etiam ad rationem quinque pro centum; solvant ipsi, qui contribuerunt mutuando ratione lucri cessantis, vel damni emergentis. & hic modus non videtur esse licitus; quia non in omnibus civibus, qui contribuant, est lucrum ces-

sans,

fans, vel damnus emergens, cum non omnes habuerint pecunias, quas monti mutuarunt negotiationi destinatas, licet ex parte eorum, in quibus reuera tantum lucri, vel damni, plus minusve cessauerit, vel emergerit, iste modus sit licitus; quia quinque quæ soluantur pro centum, non soluantur vi mutui, sed ratione lucri cessantis, vel damni emergentis; generaliter tamen iste modus non est licitus. Item secundum quoniam, vt *cap. precedenti* dixi, quando cumque aliquis montem erigit mutuo, & non donando, siue transferendo dominium eorum, ex quibus montem constituit, in ipsam montem; tunc suis impensis, & sumptibus tenetur montem conseruare indemnem; ita vt non possit obligare eos, quibus ex monte mutuum datur, ad certum aliquid soluendum ultra sortem, pro expensis ministrorum montis, & pro indemnitate montis; nam vsura est si mutus alteri, eo pacto, vt ipse aliquid soluat pro indemnitate pecunie mutuate. Item vsura est, si pecunias tuas ciuitati mutues, vt ciuitas ex eis mutuo det indigentibus; eo tamen pacto, vt ipsi mutuatarij aliquid soluant ultra sortem pro conseruatione illarum pecuniarum, quas mutuas ciuitati, vt ipsa deinde ex eis mutuet indigentibus; quoniam tuis impensis debes eas conseruare.

Circa secundum modum praxis est ista: Ciuitas vendit censum, quem constituit super se, & bonis suis, & propter bonum pauperum cogit ciues, vt emant singuli certas portiones census, vt ex eorum pecuniis fiat cumulus montis: & deinde mutuatarij ultra id, quod soluant pro stipendiis ministrorum, soluant quoque quinque pro centum; quia hæc est portio census, quem ciues emunt: & hic modus videtur esse licitus: nam ex parte ciuium contribuentium non est mutuum; quia nequeunt repetere suas pecunias à ciuitate vel monte; quia vere eas dederunt ciuitati, vel monti pro pretio, quo emerunt à ciuitate, vel monte censum ad rationem quinque pro centum. Ex parte vero eorum, qui mutuum petunt à monte, non est aliquod onus iniustum: nam licet soluant quinque pro centum, totum hoc est in bonum ipsorum, & ipsi tenentur ultra sortem totum id dare, quod est opus ad expensas montis necessarias: inter expensas autem est, vt soluant censuales pensio.

Item censuales huiusmodi pensio debet solui ab iis, in quorum commodum est mons constitutus: & mons iste non est constitutus in bonum ciuitatis, sed in bonum pauperum, & aliorum indigentium: & quando cumque voluerint ministri, & gubernatores montis, possunt redimere censualem pensionem, reddendo singulis ciuibus capitale, quod contribuerunt.

Notandum tamen est, requiri tunc, Primo, vt ciuitas constituat bona aliqua sua; nimirum bona immobilia, siue iura, siue vectigalia, siue gabellas antiquas, vel de nouo ad hoc institutas, super quibus censum imponat. Secundo, vt ciuitas in montem ipsum transferat pecunias, ex quibus mons erigitur, ita vt non retineat apud se ius repetendi eas, quando voluerit à monte: tunc enim esset mutuum, & consequenter licet ciuitas tunc possit exigere à monte quinque pro centenario quolibet, ratione damni emergentis, v.g. ad soluendam censualem pensionem, quam ciuitas tenetur soluere ciuibus, qui contribuerunt non potest tamen exigere à monte alia duo, vel tria, pro impensis ministrorum montis: quia, vt dixi *suprà*, qui ex pecuniis mutuatatis montem erigit, suis sumptibus, & impensis debet montem conseruare.

Secundo queritur, An ciuitas volens redimere censum aliquem super bonis suis constitutum, possit ex summa pecunie, qua alioqui esset census redimendus, montem erigere propter bonum pauperum, eo pacto, vt mutuatarij soluant censum ad rationem quinque pro centum, quem censum ciuitas alioqui soluebat: Respondetur, etiam hunc modum esse licitum: nam ego tibi possum mutuarè certum, que parata, & destinata habebam ad redimendum censualem pensionem, quam quotannis soluebam, eà lege, vt tu soluas illam censualem pensionem; interim dum non mihi reddis capitale, nimirum centum; quia hoc opus non tibi impono vi mutui, sed ratione damni emergentis: sic etiam ciuitas,

quia destinata pecuniam habeat ad redimendum censum, & mutuat eam monti pietatis, licet potest eà lege mutuarè, vt mons, siue mutuatarij interim dum non reddunt capitale, teneantur ad solutionem census.

Tercio queritur, An constituto semel monte pietatis, possit cumulus augeri ex bonis priuatorum hominum mutuantium ipsi monti? Respondeo, posse augeri, dummodo mutuatatores nullum suum percipiant ex vi mutui, nisi ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, & ita mutuatarij, quibus aliquid ex monte mutuat, non tenentur aliquid soluere his, qui mutuant monti; quia solum tenentur, vt sæpe diximus, ad expensas necessarias montis.

Quarto queritur, An Princeps, vel ciuitas deposita pecuniaria iudicialia, possit monti pietatis applicare, vt in ipso sit maior cumulus pecunie ad mutuum indigentibus? Respondetur, posse, dummodo tamen, vt interim dum deposita iudicialia monti applicentur, per rationem mutui, nihil à monte, vel mutuatariis exigatur ad conseruationem pignorum, vel depositorum iudicialium: quia, vt diximus, quoties aliquis mutuo montem iuuat, constituit, vel erigit, nequit aliquid exigere pro conseruatione sui mutui; quia non transfert dominium illius in ipsam montem. Si tamen ipsa deposita iudicialia per donationem monti applicentur, tunc mons, & mutuatarij tenentur ad expensas pro conseruatione illorum.

Quinto queritur, An sit licitum, vt montis pietatis det quattuor pro centenario deponentibus pecuniam apud ipsum? De hac questione lege Nauarr. in *cons. 17. libr. 5. de vsur.* Dicendum est, non esse licitum siue ratione depositi, siue mutui, nisi deponentes recipiant ea quattuor ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, & tunc in hoc casu non potest mons obligare eos, quibus ipse mutuat, vt soluant sex pro centenario; v.g. quattuor pro deponentibus, & duo pro expensis ministrorum: sic Nauarr. *loc. cit.* Possunt tamen vt *ibi* Nauarr. ait, huiusmodi montes excusari, si quattuor dentur deponentibus ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, & duo ipsis ministris montis, pro officio, quod eos facere cogit Respub. Nam, vt *suprà* diximus, potest Respublica instituire officium ad mutuum cum stipendio ministris dato à mutuatariis pauperibus soluendo: nam tunc sex illa soluantur ratione damni, siue in deponentibus, siue in ministris montis.

De secundo genere Montium, qui vulgo, & communiter in Italia dicuntur vacabiles, vel non vacabiles.

CAPVT X.

Est secundum genus montium, qui vacabiles aliquando, aliquando non vacabiles vulgo nominantur; quorum praxis est hæc: Solent Principes, vel ciuitates certos redditus annuos habere ex vectigalibus, & gabellis, vel alijs impositionibus antiquis, vel nouis, siue fructibus, aut iuribus; & quia huiusmodi redditus minutatim per partes soluantur Principi, vel ciuitati, solent ipsi Principes certam aliquam summam, & pensionem tanquam vetos illorum reddituum fructus singulis annis percipiendam constituere, vt illam vendant: quæ summa, quia est magna, & vnus non possit integram emere; ob id habita proportione illius magnæ pensionis ad omnes redditus, illas diuidunt in multas æquales partes, & pensiones, vt in octo, vel decem, vel viginti, vel quinquaginta, quæ singulæ sunt fructus, siue partes illorum reddituum; & deinde aliquando pensiones iste emuntur à multis: quorum quisque contribuit suam partem: & ita pro quantitate pecunie, quam dat, emit partem illorum reddituum; aliquando vero tota summa, qua æstimantur annui redditus, emitur ab aliquo homine opulento, qui emit omnes illos redditus, quos ipse postea vendit diuisim multis.

Ista igitur summa reddituum annuorum, dicitur mons: &